177 6

F. LVDOVICI
DE HEMMERT BELGÆ,

S.Theolog.Magiſtri,Theologi,& Lectoris publici Caietę,Ord.Eremitar.D.Auguſtini Congregationis Carbonariæ S.Io:Baptiſtæ indign.fil.

QVÆSTIO
DE MAGORVM HISTORIA,
ET APPARITIONE STELLAE.

An ſcilicet tredecim tantum à Natali Chriſti diebus abſoluta fuerit.

Otium Feſtorum Natalis Chriſti.
Ennius Iphigenia.

Otio qui neſcit vti, plus negotij habet.
Quam cum eſt negotium in negotio.

AD LECTOREM

Viue,vale,ſi quid nouiſti,rectius iſtis,
Candidus imperti:ſi non,ijs vtere mecum.

NEAPOLI, Apud Hæredes Caualli, MDCLXI.
Superiorum Facultate.

Ex Conventu Jesu Mariæ de Urbe Fratrum Discalceatorum S. Augustini

6

Digitized by Google

Eminentiſſimo ; ac Reuerendiſſimo
Domino

D. IOANNI
BAPTISTAE
PALLOTO

Cardinali, & Principi S. R. Eccleſiæ
Totius Relig. Erem. S. P. Auguſtini
Militantis ſub tuę auguſtiſſimo
dignitatis ſydere, Protectori
vigilantiſſimo.

*F. Ludouicus de Hemmert Belga Ord. Eremit.
D. Auguſtini modo fil. Congregationis
Carbonariæ S. Ioannis indig. S. F. P.*

CVm diebus elapſis, Eminentiſſime Eccleſiæ Princeps, otio Feſtorum Natalis Chriſti, in myſterium abſconditum à ſæculo, vt vtar verbis D. Pauli, id obl.1.Eph.3. *eſt, in hiſtoriam Epiphaniæ inciderem, dumque*

multas circa hanc obortas Quæſtiones, & varias controuerſias inter nonnullos, & quidem grauiſſimos auctores, cum animi delectatione percurrerem: nimirum an Magi poſt tredecim dies à Natali Chriſti elapſos, vel poſt vnum, aut duos annos venerint, & adorauerint ipſũ? de infantic dio, & crudelitate Herodis; & cur Ioannes Baptiſta euaſerit illius iram? De celebritate diei purificationis. An parentes Chriſti fuerint oriundi in Bethlehem? Cur Chriſtus in præſepio, & diuerſorio natus eſt? An ſtella coruſcans fuerit cometes? an per duos annos illuxerit Magis? & ex qua parte orientis, ſtella duce, venerint? omnia compendio, ſed minutim decidere reſpondendo ſinuoſo argumentorum labyrintho contrario meæ ſententiæ, quam defendendam ſuſcepi, & in lucem proferre, atque in grauiſſimum auctorem producere, & in tuæ virtutis templo (ad obſequentis animi argumentum) ſuſpendere decreui, ſed ſub auſpicijs radiorum tui (de Stella enim Magorum duce, quæſtio excitatur) ſideris auguſtiſſimi, Phœbei orientis inſtar, ac tuæ pietatis zelo, intigerrimaque eruditione, atque Religionis propagandæ ſtudio, totum Chriſtianum orbem irradiantis, ita, vt qui ſtellam

lam

lam tuam antiquitatis, & nobilitatis tuæ familiæ ſplendore emicantem pronuntiat: quidquid vbique bonum, nobile, pium, prudens, auguſtum eſt, & compendioſa voce ſupprimat paritèr, & exprimat. Quoniam tedis ipſius ſubtus ſe brachium radiantibus, ingenio acre, animo prudēs, corde religioſum, auſu promptum, impetu prudens, itaquè ad ſupremum regimen natum eſt. Quæ enim vnquam ætas, aut quæ vſquam natio tuas non loquetur, tuas non admirabitur potentiſſimas animi dotes, ac virtutes? Splendorē *autem tui ſyderis non ſimilem cæterorum, ſed ab oriente ad occidentem conſpicimus; cuius potentiam, prudentiam, & ſapientiam, pietatem, & bonitatem totus terrarum orbis eſt expertus (vt benè dixerim, quod natura dedit, vbique eſt) dum ſummis videlicet legationibus, S. Imperio, Regno Luſitaniæ, Ferrariæ, vt alia taceam, à ſua ſanct. dignè deſtinatus eſſes;* Roma *quoque ſub tui fauſtiſſimi regiminis auſpicijs, tua dexteritate, probitate, & pietate, atquè intigerrima eruditione ornatior viſa eſt, ac ſanctior. Tota id quoque teſtatur, & Vniuerſa Auguſtinianorum Religio, quam tuo fragantiſſimo omnium virtutum theatro, tua luminoſiſſima*

pro-

protectioni s luce magnificas, viſitas, cuſtodis, & protegis à fine, vſque ad finem; & iſta quidem ſuauitate eam ducis, vt referat fructum ſuum, theſaurum nimirum Euangelicum, in quo diuitię ſalutis, ſcientia videlicet, & ſapientia conditę ſunt, & conſignatę. Hęc itaque, Eminentiſſime Princeps, tuo, imparia quidem, nomini inſcribo: ſperans maiora volumina ſub tuis auiſpicijs editurum, ſi tenue hoc, & exile tuę Eminentiſſimæ dominationis gratiam promeruiſse cenſuero, exoptans, vt quamdiù viues nomine, viuas & corpore. Dat. Caietæ Kalendis Ianuarij à Nato Chriſto 1661.

Im-

M. F. FVLGENTIVS TRABELLO-nius à Monte Georgio Congregationis S. Io: ad Carbonariam Ord. Erem. S. Auguſtini Vicarius Generalis Indig.

HOc opus, cui titulus Quæſtio de Magorum Hiſtoria, & Apparitione Stellæ, ab adm. *R.* P. Mag. F. Ludouico de Hemmert prædictæ Congregationis S. Io: ad Carbonariam, & Ciuitatis Caietæ Theologiæ publico Lectore compoſitum, quod attentè perlegimus, vt Typis mãdetur, quoad nos ſpectat, facultatem concedimus. Dat. Neapoli ex noſtro Conuentu S. Io: ad Carbonariam die 15. Maij 1661.

F. Fulgentius Trabellonius
Vicar. Gener. indig.

IMPRIMATVR

Paulus Garbinatus Vic. Gen. Neap.

Can. D. Matthęus Renzi S.T.D. & Conſult. S. Off.

Io: Baptiſta Zupus è Soc. Ieſu Theologus Deputatus vidit.

Digitized by Google

QVÆSTIO

DE MAGORVM HISTORIA, ET APPARITIONE STELLÆ:

An ſcilicet tredecim tantum à Natali Chriſti diebus abſoluta fuerit.

IN initio præmoneo, à me non nouam hac in re ſententiam ſperari, veterem enim, & vulgatã ſequor: quamuis noua via, ac ratione, vt vel ſic noui aliquid pollicendo, legentium gratiam, & attentionem conciliem. Huic namque legi hoc noſtro naſuto, & delicato ſæculo, quotquot ſcribunt, obnoxij ſunt, vt niſi nouum aliquid in diſciplinas inuehant, pro gratia calumniam ſint reportaturi; & quamuis, quemadmodum non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri, ita non minus ſit ingenium, quàm noua cudere, vetera defendere, ac confirmare: Nihilominus ego vtriuſque rationem in hoc libello ha-

Vetus ſententia nouis rationibus defenditur.

habere volens, cum veterem ſententiam validiſſimè propugnabo; tum verò nouam non leuibus rationibus, ſed ferreis, & adamantinis, vt in Georgia dicebat Plato, comprobatam proponam inſtar hominis Euangelici, qui de theſauris ſuis noua ſimul depromit, ac vetera.

Prima Quæſtionis Pars.

Quod nō venerint tertia decima die, ſed lōgè poſt

ESt quædam ſententia, quam an nouam appellem, non ſatis ſcio, eā nāq; apud D. Epiphaniū vetuſtiſſimum ſcriptorem reperio, & Theophylactus, atque Nicephorus in eamdem impegerunt, quæ tamen, quoniam à poſterioribus ferè Scriptoribus deſerta eſt, & à nouiſſimis, & recentiſſimis quibuſdam aſſerta, & vindicata, noua dici poſſe videtur: Sententia eſt, quod Magi poſt duos annos, & tredecim dies à Natali Chriſti elapſos venerint, & adorauerint ipſum. Quod ſi tantas, ac tam lōgas moras ſuſtinere non potes, at ſaltim (aiunt auctores huius ſentētiæ) nulla ratione credas, quod mox decimo tertio die poſt natum Chriſtum venerint, ſed longè poſt, vt ſequentibus argumentis fit veri longè ſimillimum. Lege attentè.

Argumentū ex morte Innocentium.

2 Primum argumentum ex Herodis infanticidio deſumitur. Ait enim Sacer Matthæus in hoc cap. 2. ipſum occidiſſe omnes pueros à bimatu, & infra: & ſubditur ſecundum tempus, quod exquiſierat à Magis; & præceſſerat, Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus Stellæ, quæ apparuit eis. Si ergo Herodes tempore appari-

ritionis Stellę diligẽter examinato trucidauit pueros bimos; ſecundum tempus, quod exquiſierat à Magis, eo, ſcilicet animò, vt inter tot interfectos, Chriſtum quoque inuolueret: exiſtimauit planè Chriſtum eſſe bimulum, aut ſaltem anniculum, alioquin quid opus erat vſque ad bimos occidere, ſi tredecim tantum dierum natum Chriſtum credebat ex Magorum teſtimonio, in Stellæ apparitione fundato? Neq; obſtat, quod alicubi D. Aug. D. Chryſoſt. Niceph. Scaliger. in ea fuerũt ſententia, quod Stellæ ortus ortum Chriſti multis menſibus præceſſerit: nam eam vnà cum Chriſto ortam fuiſſe, incunctantèr credendum eſt, vt inferius demonſtrabo.

3 Secundo ex Matth. eodem cap. colligitur, ſtatim poſt diſceſſionem Magorum fugiſſe Ioſeph, cum puero, & matre eius in Aegyptum. Ait enim cum receſſiſſent (ideſt Magi) ecce Angelus apparuit Ioſeph dicens, ſurge, & fuge; diſcedentibus autem illis, ecce Angelus, quaſi dicat ſtatim, ac Magi diſceſſerunt. Etenim ſtatim ſenſit Herodes ſe à Magis illuſum fuiſſe; ideò cum poſt vnum, aut alterum diem eos ex Bethlehem non redijſſe Ieruſalem, & dum de pueris interimendis cogitat, & cogitationem exequi molitur, ecce Angelus apparet Ioſepho dicens, ſurge, & fuge. Ipſum autem ſtatim fugiſſe, & non multos expectaſſe dies, & recta ratio docet, & textus Euangelij inſinuat, dum ait, qui conſurgens accepit puerum, & matrem eius, & fugit in Aegyptum &c. Cum autem fugit, iam ſanè impletæ fuerunt dies purificationis Marię, & tule- Ex fuga in Aegyptum

rant puerum in templum,& perfecerant omnia ſecundum legem Moyſi: nam hæc omnia adimplenda erant intra quadraginta dies à partu pueri, atq; adeò ante fugam in Aegyptum. Ex his itaque omnibus apertè elicitur, hanc Magorũ hiſtoriam non accidiſſe intra illos quadraginta puerperij Mariæ dies, ſed longè poſt &c. nam ſi ſtatim recedentibus Magis, quos ſtatim receſſiſſe certum videtur, alioquin Herodes ipſos apprehendiſſet, ſi vltra duos, aut tres dies, morarentur in Bethlehẽ, vt quantum ad hoc benè docet Abul. hic c.2.q.40. ſi itaque ſtatim, ac Magi adorauerunt, & abierunt, Angelus admonuit Ioſephum, vt fugeret, & ipſe fugit: liquet, & aduentum, & adorationem, & abitionem Magorum, & reliqua, quæ ad Magos attinent, poſt dies purificationis acta fuiſſe: quantumlibet D. Aug. vehementer deſudet, & in omne ſe latus vertat lib.2. de conſ. Euang. c. 5. vt vtriuſq; Euangeliſtę concordiam hac in parte demonſtret.

Ex eo, quod Lucas eius hiſtorię nõ meminit.

4 Tertiò ſi hęc Magorum hiſtoria inter prædictos quadraginta dies puerperij Mariæ peracta eſt: peto, qua de cauſa D. Lucas eam ſilentio prętérijt? Lucas, inquam, qui tam ſollicitus fuit in recenſendo minutatim omnia, quæ illis diebus acciderunt, quoad vſq; peracto purificationis die reuerſi ſunt Nazareth. Recenſet enim edictum Cęſaris, Natiuitatem Chriſti, cantum Angelorum, aduentum Paſtorum, circumciſionem pueri, impoſitionẽ nominis, præſentationem eius in templo, purgationem puerperę, oblationem turturum, aut pullorum columbę, benedictionem Simeonis, teſtimo-

uium

nium Annæ prophetiſſæ, & alia, quæ vſque ad reditum in Nazareth in illis quadraginta diebus euenerunt. Quid ergo ſolam Magorum hiſtoriam prętermiſiſſet D. Lucas, ſi ea contigit intra prędictum quadraginta dierum ſpatium? Pręſertim, cum ad Chriſti gloriam oſtendendam, quam manifeſtare volebat Lucas, paulòminus videretur pertinere hęc adoratio Regum Magorum, quam Angelorũ, & multòmagis, quàm Paſtorum. Quid ergo Paſtorum recordatus, obliuiſceretur Regum? Certè non eſt credibile. At ſi dicamus, Magos veniſſe poſt quadraginta dies, & poſtquam perfecerunt omnia ſecundùm legem Moyſi, & redierunt in Nazareth; non eſt mirum, ſi id tacuit Lucas. quia ipſe ea tantum, quæ intra illos quadraginta dies, vſque ad reditũ in Nazareth acciderant, velle referrè videbatur.

5 Quarto meminiſſe oportet, quàm multa, & quam publica lætitia fuerit in templo Ieruſalem die purificationis Virginis, tunc enim Simeon vocem lætabundus extulit, & Anna magnificabat Deum, & loquebatur de puero omnibus, qui expectabant redemptionem Iſrael: & omnes in voces, & encomia prorumpebant, idque publicè, & ſolemniter in templo, & in ea Vrbe, in qua erat Herodes. At certè incredibile eſt, quod hæc omnia ita publicè gererentur, ſi iam veniſſent Magi, nam ex quo venerunt, turbatus eſt Rex, & omnis Ieroſolyma cum illo, vt hic habet Matthęus, & ex illo tempore Rex per ſe, perque ſuos miniſtros, & ſatellites cœpit inſidias parare Chriſto, & eius parentibus.

Ex celebritate diei purificationis.

Lucæ 2.

Quis

Quis ergo credat in media turbatione Regis, & Vrbis,& inter tot preſſuras,& inſidias, Chriſtum, & eius parentes,tam publicè,& ſolemniter ſua feſta celebrare auſos fuiſſe, vt ſic in Regis, & Vrbis notitiam hæc fama veniret cum aperto ſui periculo? hoc ſibi D.Aug. propoſuit dubiũ lib.2.de conſ. Euangel.cap.11.Verum implicatiſſimum nodum, non ſatis explicauit. Quo circa ſi alius quis, vt vim huius argumenti diſſoluat, dicat diuinitus, & per miraculum factum eſſe, ne Herodes puerum apprehenderet, licet eius parentes per mediam vrbẽ ipſum publicè in templum inducerent: certè hæc ſolutio,quæ ad miraculum recurrit,non eſt probanda viro Theologo,qui miracula docet non eſſe pro libito fingenda. Præſertim ſi per miraculum factũ eſt,ne tunc Herodes puerum caperet, licet in ipſa Herodis Regia verſaretur: cur etiam per miraculũ non eſt factum,vt Ieroſolymis manens,aut in Bethlehem, vel Nazareth moratus, euaderet iram Herodis?vt ſic non eſſet ei opus in Aegyptum fugere, cum tanto ſui,ſuorumque parentum incommodo, atque diſpendio?Dicendum ergo videtur,cum feſta purificationis acta ſunt,nõdum Magos veniſſe, atque adeo nec tunc Herodẽ turbatio, nec Ioſephum metus inuaſerat.At poſt aduentum Magorũ metuit Ioſeph,vt reſciuit Herodẽ turbationẽm, & illicò ab Angelo monitus in Aegyptum ſe cõtulit.

Solutio quorundam.

Refutatio.

6 Quinto ſacra refert hiſtoria,Magos,aurum, thus, & myrrham obtuliſſe Chriſto, & eius matri, &,vt credibile eſt,in magna copia: erant enim Reges,& Rex,cui offerebant, idque etiam Matthæus

Ex eo quod oblatum eſt pro eo in die purificationis

Digitized by Google

inſinuat,dum ait, apertis theſauris ſuis obtulerunt &c. peti ergo modo poteſt cum Abul. 9. 34. ſuper cap.2. Matthæi,in quos nam vſus B. Virgo, tam citò expendit oblata dona, ſiquidem die purificationis non habuit,quid offerret,niſi par turturum, aut duos pullos columbarum, nimirum, quaſi vna de pauperculis fœminis? Cur itaque non obtulit etiã agnum, quem de lege Moſayca tradita Leuit. 12. tenebatur offerrè ſimul cum turture, & columba,ſi haberet,vnde emeret? Certè non obtulit,quia non habuit, quia non dum Magi obtulerant; ijque non obtulerant, quia non dum venerant. Lex vero Leuit:ſic habet; cum impleti fuerint dies purificationis ſuæ pro filio, ſiue pro filia deferat agnum anniculum in holocauſtum, & pullum columbæ, ſiuè turturem pro peccato &c. & mox: quod ſi non inuenerit manus eius, nec potuerit offerrè agnum, ſumat duos turtures,aut duos pullos columbæ &c.

7 Sexto nonnulla alia,quæ in hac hiſtoria cõmemorantur,hoc ipſum iuuant. Primo,quod Matthæus in hac narratione ſexies vocat Chriſtum puerum, hoc eſt infantiæ limitem iam excedentẽ, cum tamen Lucas 2. frequentius vocet eum infantem. Iam ergò erat bimus,aut anniculus,cum Magi venerunt. Adde, quod commodior videtur adoratio,& oblatio munerum impenſa Chriſto iam maiuſculo, quam recentiſſimè nato. Secundo, quod diebus Natiuitatis,& proximè ſequentibus in præſepio,& diuerſorio verſabatur infans:at,cum Magi venerunt,in domo,vt habet textus. Vnde Epiphan. lib.2.tom.1.hæreſ.1.51. ſic ait, non iam in Præſe-

Ex diuerſo ſtatu, quem tũc habebant tunc.

pio

pio,non in ſpelunca,ſed in domo,vt cognoſceretur duorum annorum ſpatiū, ex quo natus eſt, donec acceſſerunt Magi. Iuſtinus quoque Martyr doctiſſimus, & philoſophus Chriſtianiſſimus in Dialog. cum Tryphone circa medium ſimiliter dicit B. Virginem,cum Magi venerunt, iam ad quamdam aliam ſpeluncam diuertiſſe. Tertio, quod eo tempore non iam ibi erat Ioſeph, vt notat hic S. Thomas ſupra Matthæum, & ex textu elicitur, & intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria Matre eius.Non ait cum Ioſeph. Quæ ſimul collecta mutuò ſe iuuant, & probant tempore aduentus Magorum res omnes tam immutatas,& diuerſas eſſe ab eo ſtatu, in quo erant tempore partus, vt plures menſes, & fortaſsè anni interceſſiſſe videantur.

Ex eo, quod Reges non celeriter agant iter.

8 Septimo,non eſt credibile,quod Magi,viſa Stella, ſtatim iter arripuerint, ſed quod cœperint primum de ſua profectione cogitare,& tam longo itineri ſe accingere: præſertim ſi Reges erant, de quibus veriſſimè dixit Terentinus;dum moliuntur; dum conantur,annus eſt. Præcipuèque cum multi eſſent,multorum ſatellitum,& vehiculorum apparatu indiguerunt, & ſecum inuicem, & cum ſuorū Regnorum primoribus hęc expeditio tractanda eſſet. Neque obſtat,quod, duce, ac comite Stella, non videbatur illis opus tanta cunctatione, nam Stella paulò poſtquam ab eis in oriēte viſa eſt, diſparuit,neq; eam amplius viderūt vſq; Bethlehem, vt docere videtur D.Auguſt.ſerm.2.de Epiphania, & expreſſis verbis docet Baſil.in homilia de huma-

na Chriſti Natiuitate, Beda aliquarum quæſt.9.1. Ianſen.& Ioannes,Soarezius,& alij ſuper Matthęũ cap.2. & fauet, quod ipſi dixerunt, vidimus Stellã eius in oriente, nec poſt dicunt ſe vidiſſe, aut ſequutos fuiſſe eam: & mox,& ecce Stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos: non ait, cuius obſequium, & ducatum ſequuti fuerant in via, ſed tantum, quàm viderant in Oriente; quare, & viſa, & ſtatim euaneſcente, neceſſum fuit illis primum, dubitare, & exquirere, & inter ſe ſemel, & iterum quònam,& quà etiam ituri eſſent,per quam longa Terrarum ſpatia, & quo apparatu, quibuſque muneribus.Et rurſus, ne interim in ſuis Regnis noui aliquid ſuboriretur, præcauere. Et demum, cum Arabia, Caldęa, Perſianę, & Meſopotamia, vnde veniſſe creduntur, iam eſſent,tunc temporis à Romanis debellata, immò cum illis belligerarentur, credibilę eſt, Magos in Iudæam intraturos, in qua iam Romani dominabantur, metuiſſe, ne à Romanorum cohortibus aditu interdicerentur, & capite plecterensur. Adde,ſi Reges erant,eos, vt par eſt, in diuerſis Regnis, & Prouincijs extitiſſe, & ſtella viſa, ſe mutuò per nuncios, & ad profectionem fuiſſe cohortatos, & multis legationibus vltrò, citròque tranſmiſſis, demum de negotio deliberaſſe, poſt conueniſſe, & vnà iter fuiſſe adortos, & longiſſimè tranſcurriſſe, nimirum more Régio. Sanè hęc omnia peracturis, & in Bethlehem venturis, vix vnus annus ſatisfuit;tantum abeſt, vt tredecim diebus,tam multæ,ac varię res actę fuerint,niſi miracula miraculis velis apponere,quod vetãt Theologi,

logi, niſi vbi magna ſubit neceſſitas ipſa fingendi, quæ hic non ſubeſt.

Ex eo, quod multi Doctores ità tenēt.

9 Octauo, demum hanc ſententiam, quod ſcilicet vno, aut duobus annis, aut ſaltim lōgè poſt quadraginta purificationis dies venerint Magi, tenet D. Epiph. lib. 1. tom. 2. hæreſi 30. quæ eſt Ebionæorum, vbi ſic ait, quod Chriſtus Deus erat, & nō nudus homo, Magi clarè oſtendunt: nam poſt duorum annorum tempus progreſſi in Ieruſalem, adorauerunt ipſum &c. & lib. 2. tom. 1. hæreſi 51. dicens, Matthæus ubi dixit Natiuitatem, tranſijt ad ad biennale tempus, & indicauit, quæ facta ſunt poſt duos annos; & mox, cui non apparet, quod, quando venerunt Magi, duos annos puer natus erat? Et adhuc: anno 33. Herodis naſcitur Chriſtus, 35. venerunt Magi, 37. mortuus eſt Herodes, & hanc ſententiam à nonnullis etiam aſſertam eſſe, dicit Theophyl. Matth. 2. & eam reputat probabilem Nicephorus Calliſtus lib. 1. hiſt. Eccleſiaſticarum cap. 13. & eam tenet Zacharias Epiſcopus. & Faber, & Oſiander: & demum ex recentioribus Arias Montanus, qui grauitate, & eruditione, vt vetuſtis ſcriptoribus annumerari meretur, ita Neothericos multis poſt ſe relinquit interuallis, tenet ſuper Matthæum cap. 2. in illis verbis, à bimatu, & infra, quod poſt dies purgationis venerint Magi.

Reſpondetur præcipuò argumento aduerſariorum.

10 Cęterum vero, vt huius opinationis veritas Magis eluceat, libet iuxta eam pręcipuum argumentum alterius, & contrariæ ſententiæ examinare, & repudiare.

11 Arguunt itaque auctores oppoſitæ ſentē-

tiæ,

tiæ,certum eſſe,quod Magi inuenerint puerum, & parentes eius in Bethlehem, vt patet ex Euangelio.ergo adoratio Magorum accidit intra quadraginta puerperij dies:nam poſt eos non fuerunt amplius in Bethlehem, ſed in Nazareth, ait enim Lucas cap. 2. vt perfecerunt omnia ſecundum legem Domini, reuerſi ſunt Nazareth. Nuſquam autem aliàs apud Euangeliſtas reperitur, quod redierint Bethlehem poſt illos quadraginta dies, vt ibi poſſint à Magis viſitari.

12 Huic argumento vt reſpōdeas,ſcito,Chriſtum,& eius parentes oriundos potius fuiſſe Ciuitatis Bethlehem, quam Nazareth: & ea de cauſa eos petere ſolitos Bethlehem, & multis diebus ibi morari, tamquam in vera,& genuina patria, & loco ſuæ Natiuitatis, ſuorumq; maiorum proprio. Id patet primò,quia Lucæ 2.cum dicitur, quod ex edicto Cæſaris ibant omnes, vt profiterentur ſinguli in Ciuitatem ſuam,ſubiungitur,quod Ioſeph, & Maria ibant, vt profiterentur in Bethlehem, nempè, tamquam in propria Ciuitate. Secundo, quia mortuo Herode,ait Matthæus in hoc capite, Ioſephum,cum puero, & matre cum primum vellet in Iudæam ex Aegypto reuerti, audientem tamen,quod Archelaus Herodis filius regnaret in iudæa,timuiſſe illò ire, & ſic ſeceſſiſſe in Galilęā, In Ciuitatem, quæ vocatur Nazareth: ex quo fit veram patriā, & Io ſeph, & Virginis fuiſſe Bethlehem Iudæę,in quam volebant reuerti, Nazareth autem non ita. Tertio Iuſtinus Martyr in Dialogo cum Triphone paulò poſt medium apertè id dicit;

Quod parentes Chriſti oriundi fuerint ex Bethlehem.

ait enim à Nazareth, vbi domicilium habebat, aſcẽdit in Beth lehem veterem patriam, vt nomen profiteretur &c. Et auctore Nicephoro Caliſto graui in primis antiquo Scriptore lib. 1. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 12. & 13. vtrobique in Bethlehem, & Nazareth viciſſim habitabant parentes Chriſti, & in Bethelehem in domo propria Ioſeph circumciſus fuit Chriſtus, qui natus fuerat in domo, quæ erat cognatorum Virginis, ſcilicet in agro Salomę. Sed, & Petr. de Natalib. lib. 2. Cathaloghi c. 139. & 140. aſſerit Eſtolanum, & Hemerentianam parentes B. Annę, & Auos B. Virginis oriundos fuiſſe Ciuitatis Bethlehem. Quare Petrus Galatinus lib. 7. de arcanis Cathol. veritatis cap. 12. B. Virginem ex ſententia Rabbinorum Bethlehemitem vocat. Quæ ſi vera ſunt, & certè veriſſima ſunt, non debet alicui mirum videri, quod, quamuis poſt dies purgationis Mariæ profecti fuerint in Nazareth, tamen iterum, atque iterum antiquam Bethlehem patriam repetierint, vbi Magi potuerint eos inuenire.

Quod ſingulis annis parẽtes Chriſti veniebãt Bethlehem, & Ieruſalẽ Luc. 2. Exod. 23. deut. 16.

13 Aut dicito, quod, cum ex Moſayca lege omnes maſculi totius Iſrael ter in anno apparere tenerentur in templo coram Domino, vndecunq; venirent, & vbicunque eſſent: Ioſeph autem, cum eſſet diuinæ legis obſeruantiſſimus, non dubium eſt, quin cum puero, & Matre eius in ſingulis annis proficiſcerentur Ieruſalem, immò, vt dicit apertè D. Lucas cap. 2. ibant parentes eius per omnes annos in Ieruſalem in die Paſchæ. Licet enim ter ex legis tenore ituri eſſent, tamen ijs, qui procul à tem-

templo, & vrbe, permittebatur, vt ſemel tantum, ideſt in die ſolemni Paſchę templum ſingulis annis adirent. At Chriſtus, & eius parentes longè à templo viuebant, nempè in oppido Nazareth, quod plus triginta paraſangis à templo Ieroſolymitano diſtabat. Quare ſemel annuatim Ieruſalem tendebant, & tunc, vel ex tranſcurſu, & obiter, quid mirum ſi antiquam patriam Bethlehem inuiſebant; vbi in cognatorum domo ſuſcepti, potuerint à Magis viſitari?

14 Sed obijcies: ſi Bethlehem erat corũ patria, & ibi propriam habebant domum, quid eſt, in Bethlehem contendentes ad diuerſorium declinarunt, immò non erat eis locus in diuerſorio, vt habet Lucas? quare tenellum puerum deponere neceſſe Virgini fuit, ſpem Mundi, ac terra in nuda connixa reliquit? Reſpondeo per diuerſorium non intelligi à Luca commune viatorum hoſpitium, ſed domum eorum, aut ſuorum maiorum propriã: omnis enim domus diuerſorium eſt, in quo ſcilicet homines diuerſantur. Quod vero non erat ei locus, nempè locus aptus partui, mirum non eſt, quia veniente, & pariente Virgine eo loci, ac temporis, quaſi caſu, & prętèr ſpem eorum, qui ibi erãt, quid mirum, ſi locus aptus, vt eſt cuna, deerat? Quarè infantem in præſepio poſuit, quod ibi fortaſſe propè, & in aprico erat. Adde parentes Chriſti, & eorum propinquos fuiſſe valdè pauperes: & ideò credibile eſt, eos habitaculum hominum ſimul, & pecorum ſub vno tecto, & communi vmbra habuiſſe, vt modo in pleriſque partibus fit, & in prima Mundi ętate

Cur in diuerſorio, & præſepio natus eſt Chriſtus.

rate fieri ſolitum teſtatur Iuuenalis ſat. 6. Cum frigida pariter Præberet ſpelunca, domos, ignemque, laremque. Et pecus, & dominos communis clauderet vmbra. Demum addè arcanã Numinis diſpenſationem volentis, vt infans ſtatim à Natali aſſueſceret ſummę paupertati: nam qui iã adultus, vbi caput reclinare non habuit, & moriẽs ſindone indiguit, qua inuolueretur, non debuit ſuę vitę primordia fortunatiora, & ditiora habere.

Math 8. Ioann 21.

15 Et quidem cętera argumenta, quæ ab aduerſarijs obijci ſolẽt, faciliùs labefactantur eo, quod modò retulimus, iam deſtructo. Quarè firmum, & certè relinqui videtur, quod longè poſt quadraginta purificationis Marię dies Magorũ hiſtoria peracta ſit. Et quidem hæc de prima noſtra quæſtionis parte dicta ſunt.

Secunda Quaſtionis Pars.

Altera ſentẽtia, quod tredecimdi bus p nexus, eſt verior.

HIs tamen omnibus rationibus, & argumentis nos haudquaquam commoti oppoſitam sẽtentiam veram credimus, & eam maioribus fundamentis niti dicimus, & adductis in aduerſum rationibus ſatisfacere pollicemur. Dicimus itaq; Magorum Hiſtoriam ſtatim die à Natali Chriſti 13. contingiſſe, & non longè poſt.

Probatur ex contextu hiſtoriæ.

1 Primò probatur ex eo, quod Matthæus rem hanc hoc verborum tenore narrat. Cum natus eſſet Ieſus in Bethlhẽ Iudæ in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab oriente venerunt &c. quæ verba niſi inſigniter cæcutimus, docent ipſo nato, ſtatim ue-

veniſſe,nõ lõgè poſt.Vndè in textu Græco habetur, at Ieſu nato,ecce Magi &c.ꝙ vulgariter diceremus, nel naſcere Chriſto,vennero,vt illud Virgilij: Audiat hæc aliquis,vel qui venit,ecce Palæmon .Etenim aduerbium illud,ecce,in rei præſentis,aut ſtatim ſequutæ conſiderationem nos excitat, non vero in rem multorum dierum interuallis diſtantem.

2 Secundo ex eo, quod Magi inuenerunt Chriſtum adhuc in Bethlehem; eſt autem multò vero ſimilius,quod priuſquam inde diſcederet, venerunt Magi.Lex enim Moſayca Leuit. 12. præcipiebat manere puerperam in ſanguine ſuo vſque ad diem purificationis, & ante iſtos dies inde diſcedere nefas erat. Poſt diem verò purificationis abierunt in Nazareth,teſte Luca in fine,quod vero Chriſtus poſtmodum redierit in Bethlehem, vt ibi Magos exciperet, non videtur ſolidum aliquod habere fundamentum,asque adeò nec multam veritatis apparentiam. Eſto enim verum ſit, quod plerunque Bethlehem in pueritia, & adoleſcentia cum parentibus veniret:at ibi ex tranſcurſu, & obitèr tantum verſabatur, quare non eſt credibile, quod relicta propria domo Nazareth,vbi de more degebat, conferret ſe in Bethlehem ad ſuſcipiendos Magos,quos vſque ad eius domum propriam, & conſuetam habitationem potius credendum eſt veniſſe,quam,quod Chriſtus eis obuius occurreret extra propriam ſedem,& domum.Dicendum ergo videtur in Bethlehem quidem Magorum Hiſtoriam celebratam fuiſſe, ſed non poſt diſceſſum

Ex eo, quod Chriſtus adhuc erat in Bethelehem. Leuit. 12.

Luc. 2.

Chriſti

Chriſti ex Bethlehem, ſed antè, atque adeò intra quadraginta purificationis dies.

Tertiò ex eo, quod quęrũt de loco Natiuitatis.

3 Tertiò, quod Magi intrarunt Ieruſalem, quærentes, vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudęorum, ſeù, vt habetur gręcè, vbi eſt natus Rex Iudęorum? Certè de recenter nato videntur inquirere, & non de ante vnum, aut duos annos nato. Rursùs, quod Herodes, ſcribis, & ſapientibus populi conuocatis, ſciſcitabatur ab eis, vbi Chriſtus naſcéretur, nimirum tunc temporis, non ante annum, inſinuat Herodem intellexiſſe, quod illa res tũc temporis ageretur. Deindè, quod Magi, dùm quærunt, vbi natus eſt? Et Herodes, dùm à ſcribis, & ſapientibus petit, vbi naſcatur? Et ipſi dùm rem hanc examinãt, plus videntur curare de loco, vbi Chriſtus naſceretur, quàm vbi tunc verſaretur, ſatis demonſtrat, omnes in hoc conueniſſe, quod quærendus eſſet Chriſtus in Bethlehem, tamquam in eo loco recenter natus, & non tamquam indè profectus, & illò poſt multos dies reuerſus, & ibi obitèr diuerſatus. Certè ſi Magi, ſi Herodes, ſi ſcribæ, & ſapientes ſuſpicarentur iam Chriſtum ante duos annos fuiſſe natum, nihil curarent de loco, in quo natus eſſet, ſed de eo tantum, in quo tunc verſaretur. Etenim ipſi id dumtaxat intendebant, Chriſtum ſcilicet reperire, vbicunque eſſet. Quod ſi de loco Natiuitatis ſolliciti ſunt, ea de cauſa faciunt, quia iuxta tempus apparitionis Stellæ conijciunt infantem non dùm de loco Natiuitatis abductum fuiſſe. Falluntur ergo pœnitus, qui dicunt, Magos veniſſe, poſtquam Chriſtus ſemel profectus Nazareth, iterum venerit Bethlehem.

Quartò,

Digitized by Google

4 Quartò, quòd Magi non venerint poſt vnũ, aut duos annos, vel hoc argumento ſuaderi poteſt. Etenim Stella eadem nocte, qua Chriſtus natus eſt Bethlehem, orta fuit in oriente, & cõſpecta eſt à Magis, nam, quod bienſio anteceſſerit eius Natiuitatem, non eſt credibile, licèt nonnulli ità ſentiãt cum Aug. Theophyl. de quo infra. Nam quis credat ſtellam per duos annos iugiter in aere illuxiſſe? Luxit enim toto tempore, quo Magi ſuum iter conficiebant, vt inferiùs oſtendam contra nonnullos. Quòd ſi Ieruſalem ingreſſi eam videre deſierunt, at certè egreſſi rurſus eam viderunt præeuntem. Si ergo vnum, aut duos annos in dicta expeditione tranſegerunt, tantumdem temporis Stella luxit in aere, hoc autem non eſt credibile, cum nullus id dicat, nec auctores prophanos, qui per id tempus fuere diligentiſſimi, & plurimi, hæc Stella latuiſſet, quò minùs in ſuis hiſtorijs mentionem feciſſent, præſertim cum tanto lumine, & claritate ſplendeſceret; vt Eccleſia hymno huius diei ex Prudentio non dubitet canere.

Ex eo, quòd Stella non illuxit ſemper per duos annos.

Quem Stella, quæ Solis rotam vincit decore, ac lumine &c.

At ſi dicamus tredecim diebus tantũ eam illuxiſſe, mirum non eſt, ſi eorum ſcriptorum diligentiam, & curioſitatem ſubterfugerit. At dices luxiſſe quidem per duos annos, ſed per miraculum impediti ſunt oculi infidelium, ne eam conſpicerent, & conſiderarent. Sed immeritò hæc aſſeris; hæc tua aſſertio refutatur ab Abul. ſuper Matth. q. 10. vbi

probat à multis viſam: ſicut columna Iſraelitarum ductrix ab innumeris gentibus viſa eſt, vt habet textus optimus num. 14. & oppoſitum eſſet miraculum. Iam autem in ſuperioribus admonui, miracula nuſquam eſſe admittenda, niſi vbi neceſſitas ea admittere nos compellit. At dices, cœpiſſe eam quidem lucere ipſa Natiuitatis nocte, & tunc à Magis fuiſſe conſpectam, tamen mox diſparuiſſe, nec amplius fuiſſe viſam vſq; poſt vnum, aut duos annos, quando Magi egreſſi ſunt Ieruſalem. Sed tunc, quæſo lector, mihi ediſſeras, an credibile ſit, Magos per duos annos, ſine Stella, ſine duce, ſine comite, per varia Regna, & Prouincias errabundos fuiſſe diuagatos; & hinc indè migrantes Regem Iudæorum quæritaſſe, donec tandem Ieroſolymã appulerint. Certè multò conuenientius aſſeritur, quòd diebus tredecim hoc negotium geſtum fuerit, nec tam magnis hæc aſſertio difficultatibus obnoxia eſt.

Ex cauſis ob quas nęc hiſtoria geſta fuit.

Quintò, ſi eas cauſas, ob quas Deum opt. max. hanc Magorum hiſtoriam diſpenſaſſe credimus, examinemus, inueniemus planè, ſtatim in eius Natiuitatis primodijs accidere debuiſſe. Primò enim Magi venerunt, vt tamquam gentium primitiæ Chriſto nomine omnium gentium ſubderentur, ipſumq; in Regem iurarent; ſicut paſtores Iudæorũ primitiæ, ipſa nocte Natalis, pro vniuerſis Iudæis id fecerunt, quæ eſt vniuerſorum Patrum vnanimis, & concors ratio. Hoc autem, vt ſtatim, nato Chriſto, Magi facerent, ſicut fecerunt paſtores. Secundò, vt ſtatim à paruulo, & antequam

ſciret

ſciret vocare puer patrem, & matrem ſuam, inciperet auferrè, & ad ſe trahere fortitudinem, & ſapientiam gentium, in his magis adumbratam, vt habet Iſaias, de quo infrà. Tertiò, vt ex ſignis, & prodigijs ſuæ Natiuitatis inciperet homines, quaſi augurari, & portendere futuræ vitæ geſta magnifica, & quod iam adultus omnia ad ſe tracturus eſſet, vt ipſe dixit, qui vix natus trahebat in odorem vnguentorum ſuorum, vt canit ſponſa, currentes Magos, tam longis terrarum ſpatiis diſſitos: etenim ab incunabulis ſummi ſolent futuræ vitæ præſagia, vt in Zoroaſte, qui riſit in cuna, & in Hercule, qui angues ſibi a Iunone in cuna immiſſos audacter arripuit, & fortiter manu preſſit, & interfecit. Quartò, vt oſtenderet ſe non tantùm Iudæis, ſed etiam Gentilibus natum eſſe, immò plus gentilibus, quam Iudæis, ſi in diuinæ prædeſtinationis, & reprobationis arcanum mentis oculos extulerimus, eò quod plures ex gentibus ad ſe, quã ex Iudæis vocaturus erat, & generatim Iudæos reprobauit, & Gentiles elegit. Debuit itaque ſi non prima die, at decima tertia die, non poſt, huius myſterii abſconditi à ſeculo, (vt illud vocat Paulus) ſpecimen aliquod præſeferre. Quintò ad ſolandam, & iuuandam infantis, & eius parentum inopiam, & miſeriam, qui ſcilicet omni humana ope deſtituti erant, & qui ſub paupere tecto, & in abiecto iumentorum loco diuinum puerum depoſuerant, Cœli, ac Solis iniurijs expoſitum, tam miſerabilem rem pijſſimis eius parentibus grauiter, & moleſtè.

Iſaiæ 16.

Ioann. 12.

Cant. 1.

Colloc. 1.
Eph. 1.

ferentibus. His itaque incommodis, vt diuinus Pater mederetur, ęquius erat, vt in ipſis puerperij diebus remedium adhiberet, quam longè poſt. Adhibuit ergo Magos deſtinando, & tranſmittendo, vt rebus pœnè deſperatis ſuccurreret. Ad hos itaquę fines, in quos Deum hũc Magorum aduentum direxiſſe coniectamur, magis conſentaneum erat, vt ſtatim aduentarent, quam longè poſt, nimirum poſtquam redierunt in Nazareth, & iterum veniebant Bethlehem.

Ex vaticinijs, & figuris veteris teſtamẽti

6 Sextò ex Sacrorum prophetarum vaticinijs, & alijs veteris teſtamenti teſtimonijs, atque hiſtoriis, quę ſiuè in ſenſu germano, & literali, ſiuè in typico, & translato, ſiuè tandem per quamdam ſimilitudinem, & alluſionem huic noſtræ ſententiæ fauent, libet etiam argumentari, a Vate diuino, ac Regio initio fęliciter ſumpto; inſignis enim locus eſt, qui habetur pſal. 86. eccę alienigenę, & tyrus, & populus Aethyopũ, hi fuerunt illic, quem ex Hębręo omnes vertũt, quoniã hic natus eſt ibi, pro eo, quod noſter vulgatus legit, hi fuerunt illic. Tu modo, lector, hęc confer cum Matthæi textu: Cum natus (inquit) eſſet Ieſus in Bethlehem Iudæ, ecce Magi ab oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes, vbi eſt, qui natus eſt &c. quod in pſalmo dicitur, ecce alienigenæ, in Euangelio, ecce Magi, quos ſcilicet conſtat eſſe alienigenas à Iudæa, ſiue Arabes, ſiuè Chaldæos, ſiuè Perſas. Quod ait Dauid: Quia hic natus eſt ibi; ait Matthæus, cum natus eſſet Ieſus. Hæc enim vtrobique heteologia huius

Pſal. 88.

ad-

aduentus redditur. Quod quærunt Magi, vbi eſt, qui natus eſt? ſeù, vt græcè habetur, vbi eſt ille natus? alluſio eſſe videtur ad hunc natum Dauidis: ita, vt quærunt Magi, vbi eſt ille natus? Audiant, & diſcãt à Dauide, hic natus eſt ibi. Quod implicatur aduerbio, ibi, explicatur à Matthæo, in Bethlehem Iudæ; deindè, quod Matthæus nomine Magorum inuoluit, ſcilicet Sapientes, & Principes, exprimitur à Dauide, dum eos vocat, ſcientes, & principes, ait enim, memor ero Rahab, & Babylonis, ſcientiũ me. Babylonij enim erant iſti, ſiuè Chaldæi iuxta communem ſententiam, & mox, Dominus narrabit in ſcripturis populorum, & Principum, horum, qui fuerant in ea, ideſt in Sion, & in Ieruſalem, de qua ibi eſt ſermo; Quoniam itaq; hic natus eſt ibi, ideſt, quando natus eſt, & ſtatim, ac natus eſt, ecce alienigenę, ecce Magi, vox ecce, vt dixi, rem illicò ſubſequutam denotat.

7 Secundo Iſaias propheticus ille Euangeliſta, ſeù euangelicus propheta audit à Sũmo Patre, voca nomen eius, ideſt Chriſti (quamlibet alioqui reclament obſtinatiſſimi Rabini) accelera, ſpolia detrahe, feſtina prædari: quia antequam ſciat puer vocare patrem ſuum, & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci: antequam ſciat puer vocare patrem ſuum, & matrem, ideſt, adhuc infans, hoc eſt, fari non valens, non iam bimus, cum fari poſſit, ſed recens natus, & ex tunc auferet fortitudinem Damaſci, ideſt gentium, in his magis adumbratam. Nam (vt notarunt Iuſtinus martyr in dialog. cum Tryphone, & Tertu: lib. aduerſus Iudæos cap. pro- Excutitur locus Iſaię 8.

batio

batio Natiuitatis Chriſti, & lib. 3. contra Marcionem, ibi, quod dixerat lib. contra Iudęos, ad verbũ hęc ſcribit) Damaſcus olim pars erat Arabiæ: hi autem Magi fortaſſe Arabes erant; abſtulit itaque, & deprædatus eſt infans fortitudinem Damaſci, fortitudo eſt pro Hebręis in illo Iſaię loco, quod opes, & diuitias longè propriiſſimè ſignificat, quæ citrà dubium ſunt, aurum, thus, & myrrha, quibus Mag infantis cunabula referſerũt, vt verbis vtar D. Ambroſii, & vniuerſorum ferè Patrum, & interpretũ; hæc eſt interpretatio Iſaiæ; Iuſtini, & Tertulliani ſupra, Irenęi lib. 3. contra hęres. cap. 18. Chriſoſt. homilia 1. ex variis Matthæi locis ſerm. de Epiph.

Locus Aggai cap. 2. expenditur.

7 Tertiò Aggæus quoque propheta cap. 2. à nobis eſſe videtur in illo loco. Adhuc vnũ modicũ eſt, & ego commouebo Cœlum, & terram, & veniet deſideratus cunctis gentibus, ſeù venient deſideria cunctarum gentium, ſeù electa gentium, vt legit Aug. lib. 18. de Ciuit. cap. 45. & tractat Galat. in lib. 4. cap. 9. hoc eſt venient ad Chriſtum gẽtes deſideratiſſimæ, & electiſſimę, nempè earum primitię, Magi: idque mox vt motum fuerit cęlum, & terra. Ibi non eſt ſermo de ea commotione cœli, & terrę, quę paſſionis Chriſti tempore accidit, licèt ità intellexerit D. Ambroſius lib. 3. epiſt. 12: ſed de ea, quæ in die aduentus Mæſſiæ contigit; de eo enim aduentu ibi eſt ſermo. Et tũc commotum eſt cœlum per noui ſideris ortum, & per crebra alia cœleſtia ſigna, quæ per id temporis viſa ſunt: commota terra per frequentia prodigia eiſdem diebus inſpecta. Cum itaque commotum eſt cœlum, &

terra,

terra, duo hæc ſimul euenere, quæ vnica Hebraica oratione deſignantur, quaſi uno tempore geſta, ſcilicet uenit deſideratus cunctis gentibus, & uenerunt ad Chriſtum gentes deſideratæ, & electæ, ideſt Magi.

8 Quarto locus Iſaiæ cap. 11. huc de proximo ſpectat; de Meſſiæ enim temporibus perſpicuè loquens, ait, delectabitur infans ab ubere ſuper foramina aſpidis, & in cauernam Reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet: non nocebunt, & non occident &c. quia futurũ erat, ut Chriſtus non ſolum ablactatus, & maiuſculus, ideſt bimus, aut anniculus, ſed adhuc infans, & ab ubere aſpides, ideſt idololatras Idolomaniæ ueneno imbutos deuoraret, & uirulentos Regulos, ſeu baſiliſcos ad ſe conuerteret. Alter locus Iſaię excutitur.

9 At Magi iſti quid erant, niſi Reguli? Vndè & perparui Reges, ac toparchæ erant. Baſiliſcus enim venenatiſſimum alioquin animal dictus Regulus, ideſt exiguus Rex, qui Regis inſigne in capite, videlicet coronam habet: Ex Piero Val. 14. in Ierogliphico baſiliſci. Hos itàque Regulos ad ſe trahit, & Euangelico Pharmaco epotos purgat, aut validè eos alidens, & premens (quia ſuper aſpidem, & baſiliſcum ambulat, vt ait Dauid) peccati virus euomere cogit, & ad rectam fidem conuerti. Sic quoque Herculem infantulum fabulantur, colubros e cuna eliſiſſe iuxtà illud. Baſiliſcus Regulus Toparcha. Pſal. 90.

Præfferat Alcides geminos infantulus angues.

10 Quinto quis neſcit, protoparenti noſtro Adamo eo, quo creatus eſt, die, Deum attuliſ- Alter locus ex Geneſi.

ſe

ſe, & coram ipſo conſtituiſſe vniuerſa Cœli, & terræ animantia, vt videret, quid vocaret ea, hoc eſt, vt ius in omnia acciperet, quod toto vitæ progreſſu exercere debebat? Non ergò abſimiliter in ipſis ſuæ vitæ primordijs debuit Chriſto vero, ac viuo Adamo afferri, & coram ipſo conſtitui à Patre Æterno viuentium genus, vt eius ius in ea exercere inciperet. Quarè ſi Angeli de Cœlo, ipſo nato, pro omnibus cœlicolis, ſi paſtores de locis finitimis pro vniuerſis Iudæis allati ad Chriſtum ſunt, certè eodem die ſtella adducere reliquos Mundi homines, ideſt gentiles; debuit tam mira pernicitate feſtinantes, vt 13. die coram Chriſto conſtituti nomina ei libentiſſimè darent.

11 Septimum denique, & octauum argumentum auctoritate nititur: auctoritas porrò ſeptimi argumenti, ſi non eſt diuina, aut apoſtolica, at certè eccleſiaſtica eſt: traditiones autem eccleſiaſticæ non leue habent pondus, & cum vniuerſa Eccleſia à Natiuitate Chriſti 13. ideſt 6. Ianuarij die, Magorum hiſtoriam celebrat, ſatis nobis exprimit ſenſum ſuum eſſe eum, quem modò defendimus. Neque obſtat, quod poſt vnum, aut duos annos potuit ſexta Ianuarij die peragi, nec aliquid aliud videtur probare feſtiuitas Eccleſiæ. Hoc itàque non obſtat, quia ex modo celebrandi feſtum hoc, liquet ſenſum Eccleſiæ eſſe, quod ſtatim die 13. venerint; nàmin illum uſque diem paſchalia feſta porrigit. Nec ea, quæ ad genitales Chriſti dies pertinent, abſoluiſſe ſe putat, donec Epiphaniam abſoluerit, quaſi remiſſis proximis diebus celebratam. Et hæc

argumentum ex auctoritate,

eſt

eſt communis fidelium vox,quæ nobis magni momenti eſt,licet Andreæ Oſiandro nullius ſit ponderis in hac parte. Adijce celebrem antiphonam, quàm vniuerſalis Eccleſia canit in hoc feſto:

Hodie ſtella Magos duxit ad præſepe. Ad præſepium, inquam, in quo ſcilicet nuper fuerat natus, & in officio matutino:

Salutis noſtræ auctorem Magi venerati ſunt in cunabulis.

Obſerua quod ait in cunabulis.

Adijce rurſus huius hiſtoriæ picturas, & imagines ſacrorum altarium. picturę, & imagines.

12 Octauo,vt totidem rationibus,& argumẽtis hæc ſententia fulta prodeat,quot prodiuit præcedens,quamuis non ſit vtrorumque æqua vis,ſed horum longè maior,vt conferenti conſtabit:arguitur ex communiori,& receptiori Patrum,& interpretum ſententia,qui rem hanc, neque in dubium quidem vertunt,ſed vt rem certam, & conſtantem ſupponunt,Magos illicò poſt Chriſtum natum veniſſe.D.P.Aug.lib.2.decõſenſ.Euang.cap.5.& 11. perſpicuè docet ante diem purificationis negotiũ Magorum fuiſſe abſolutum. Et in ſerm.Epiph.ſæpius repetit,ac inculcat,quod Chriſtus in ſtabulo, in præſepio, in cunabulis, & infantilibus pannis adhuc inuolutus adoratus fuerit àMagis.Et D.Leo Papa in eiſdem de Epiph.ſermonibus eiſdem ferè vtitur verbis.Idem dixerat Iuſtinus martyr in Dialogo cum Tryphone: Maria Chriſtum recens natũ in præſepio depoſuit,vbi & à Magis inuentus eſt. Ambroſ.lib.3.in Lucam cap. 3. hic eſt puer, cuius Ex Patrum, & doctorum teſtimonijs.

incunabula Magi ſpolijs orientalibus referſerunt. Chriſoſt. homilia 6. in Matthęum, ſtella Magos duxit, donec ad breue illud tugurium, & præſepium uentum eſt, Et homilia 1. ex varijs Matth. locis, inter ipſas cunas vagientis pueri infantiam venerantur. Cyprianus ſerm. de ſtella, & Magis, ecce alienigenæ â fluminibus Aethyopiæ ad paruulum Chriſtum ſupplices veniunt: in loco humili, & ſuppellectili vili Rex Regum inuenitur. Imperfectus ſuper Matth. homilia 2: puer adhuc in cunabulis conſtitutus Diabolum ſpoliauit ab iſtis Magis. Et mox: Puerum in ſordido præſepio inueniunt, & ſic exponit hunc locum, ecce Magi, ideſt, confeſtim, ac natus eſt. Euſebius Cęſarienſis lib. 1. hiſtor. eccleſt. cap. 7. vel ſecundum aliam verſionem, & partitionem cap. 8. ſic incipit: ſimul atque verò Chriſtus natus eſt, ecce Magi. Chriſolog. ſerm. 159. Magi Regem Chriſtum appoſitum ante duo prophetica illa iumenta agnoſcunt. Et ſerm. 160. hodie Magus, quem fulgentem quærebat in ſtellis, in cunis reperit vagientem. Theophyl. ſuper Matth. cap. 2. adorant eum Magi adhuc in faſcijs iacentem. Euthymius ſuper Matth. 2. quod infantem habebat tunc Virgo in genibus. Bernardus in quodam ſermone, quod Magi non fuerunt offenſi videntes Chriſtum in præſepio, & ſtabulo. Albertus. S. Tho. & Dionyſius, quod inuenerunt Chriſtum in eodẽ loco, in quo natus eſt. Sedulius in paſchali opere 2. de ſidere Magorum duce loquens, ait:

Duxit adorantes ſacra ad cunabula gentes.

Denique expreſsè aſſerunt 13. die veniſſe Magos.

S. Th.

S.Th.3.par.q.36.art.6. Abul. ſuper Matth. cap. 2. q. 24. & 40. Anton.1.part. hiſt. tit.1. cap. 1. & 3. Frater Simeon de Caſſia lib.1. de geſtis Saluatoris cap.15. Landulphus Cart. in vita Chriſti cap. 11. Scalig.lib.6. de emendat. temp. Ianſenius lib. 11. cap.5. ad 5. & quotquot ferè omnes Matth. commentarijs illuſtrarunt. Liran. Hugo. Caiet. Cagn. Ioannes Suarezius &c.verum vtimur in re non dubia, (vt cum Tertulliano loquat) textibus non neceſſarijs.

Tertia Quæſtionis Pars.

SEd ſinuoſum argumentorum labirinthum ingrediamur, & vtrum ab eius ambagibus nos extricare poſſimus, tentemus. Erat primum argumentum ex cęde infantium ab Herode patrata. Herodes enim ſecundum tempus, quod exquiſierat à Magis, occiditpueros vſq; ad bimos, ſuſpicatus ergo eſt Chriſtum eſſe bimum, aut circiter. Hoc argumentum, quod tamquam ſuum Achillem nobis opponunt, multifaria libet ſolutione refutare.

Argumentis reſpondetur

CurHerodes occidit bimos.

Prima ſolutio.

1 Primo refutatur ex comm. ſentent. D. Th. Lirani, Dioniſij, Magiſtri Anto. Sabellici Ennc.7. lib.1. (& eſt ſententia ſatis apparens, licet Scalig. loco allegato ridiculam ſentiat) & dicunt Herodē circà hæc tempora Romam fuiſſe profectum, & alioqui accuſatum, (vt refert Ioſeph lib. 16. antiquit.cap.7.)& diſtuliſſe puerorum necem, aut quia curis profectionis Romanę diſtentus non potuit huic etiam negotio animum aduertere: aut vero, quia

D 2

quia timuit, ne huius crudeliſſimę immanitatis accceſſio ſibi alioqui accuſato, & Romæ exiſtenti, pœnas accceleraret, & augeret. At Ieroſolymam longo quaſi poſt liminio reuerſus, nempè poſt biennium, bimos debuit occidere, ſi animus illi erat interficiendi Chriſtum.

Secunda explicatio.

2 Refuratur ſecundo ex Euthimio hic, & retorquetur argumentum in aduerſarios inhunc modum. Herodes occidit omnes pueros à bimatu, & infra, hoc eſt vſque ad eos, qui vno nati erant die; ſi ergo bimum Chriſtum eſſe credebat, quorſum minores interficiebat? Sanè occidit minores, quia minorem Chriſtū credidit, ampliauit vero tempus ad bimatum, vt ſi fortè Magos ſtellę tempus feſelliſſet, natus ille Rex, Herodis gladium nō effugeret.

Tertio explicatio.

3 Reſpondetur 3. ex D. Aug. in quodam ſerm: de Innocentibus, Herodē meritò timuiſſe, ne puer, cui ſidera famulabantur, ſpeciem ſuam paulò altius ſupra ætatem ſuam transformaret. Et ideò, ne valentiori, & maiori corpore, quam illud habent infantes tredecim dierum, Chriſtus elaberetur, vſq; ad bimos iuſſit interfici: adde quod Gagnenus hic addit nonnullos infantes ſuapte natura, & genitali vi maiores ex vteris maternis prodire, quā ſi eſſent anniculi, aut bimi: non enim in caſſum dicitur in hiſt. ſch. cap. 11. ſupra Euangelium, multa innocētium oſſa nunc temporis in nonnullis Eccleſijs oſtendi, tam magnę quantitatis, vt bimorum eſſe credi nequeat. Herodes ergo, qui mille nocendi artes excogitauit ad perdendum Chriſtum, timens, ne infans ad bimorum ſtaturam creuiſſet, bimos

etiam

etiam necari iuſſit:ne procere corpore puer ipſum illuderet, ſicut inſperata profectione Magi ipſum illuſerant.

4 Reſpondetur 4. Herodem benè vidiſſe, quãtum ſua referret hunc infantem perimere, quem ſcilicett imebat, & meritò, futurum Patriæ euindicem, & libertatis Iudaicæ feliciſſimum aſſertorem. Herodes enim, cum per triginta primum annos Iudaici Regni habenas tyrannicè gubernaſſet, & totos in re hac neruos tetendiſſet, vt ſcilicet prædicto Regno inaugurarctur, & regio nomine gauderet, vix tũc eo met anno, quo Chriſtus natus eſt, voti euaſit cõpos, tunc enim Iudæi longa hominis importunitate victi, qui ſiuè prçcibus, ac blandlmentis, ſiuè vi, & minis ipſos Iudæos vehementer ſollicitabat, ſe vt Regem eſſe conſentirent, conſenſerunt tandem, quamuis Phariſæis reclamantibus, vt dicit Ioſeph lib. 17. antiquitatum cap. 3. & tunc verè ablatum eſt ſceptrum de Iuda, & dux de fæmore eius, & ſequenti ãnno venit, qui mittendus erat Meſſias. Quarè Matth. hic ſemel, & iterum He rodem vocat Regem, & vt apparet, non neceſſariò: Cùm, inquit, natus eſſet Ieſus in diebus Herodis Regis; & mox, audiens autem Herodes Rex turbatus eſt, &c. itaq; vt rem nouam, & inſolitam, quod Iudçi Regem haberent ipſum alienigenam, & exterum, nempè Idumçum ex Patre, & Arabem ex matre, Matthæus hanc repetit cramben, & toties mentionem facit Regni eius. Cum ergo noua, ac recentis Regis nomenclatione Herodes poſt longas ambages, & iniurias gloriabundus eſſet, iam

Gen. 49.

Cur Matth. hic toties He rodẽ nominat Regem.

vos

vos videtis, quam grauitèr, & moleſtè ferret, quod nouum Regem Iudæorum Magi quærerent, qui neque eſſet ipſe Herodes, nec in eius domo natus, nec alitus. Impalluit namq; (verba ſunt Orig. hom. 3. in diuerſis) furioſuſq; tremor per eius cucurrit mentem, frendebat dentibus, igneis oculis eius ſeſe turbo inſuderat &c. Quare diligentiſſimè in hoc ſe geſſit negotio, vt infantem quęreret, & quęſitũ inueniret, & inuentum apprehenderet, & demum apprehenſum funditus deſtrueret. Hac ergo de cauſa vſque ad bimos occidit infantes, & mirum eſt, quod trimos, aut etiamquatrimos non iugulaverit. Vnde Chriſt. hom. 7. ſic ait: quod à biennio, & infra Herodes pueros interfecit, ne mireris, ſiquidem pro abundãtia cautionis, & licentia perſecutionis maius etiam tempus includit. Rectè notabat Orig. hom. cit. iram Regis rugitui leonis comparari in ſcriptura. Et quanam, amabo, de cauſa, cum Chriſtum Herodes in Bethlehem ſciret natũ fuiſſe, iuſſit occidi omnes infantes, non tantum in Bethlehem, ſed in omnibus etiam finibus eius, vt hic habet Matthæus? Certè qua ratione locum nati pueri, eadem tempus ampliauit, vt nulla via, & ratione puer euaderet.

Prou. 20.

Nota.

5 Reſpondetur 5. ex Euthymio, & Abul. & Montano loc. cit. horum verborum, occidit omnes pueros à bimatu, & infra ſecundum tempus, quod exquiſierat à Magis, hunc eſſe ſenſum, occidit omnes pueros à bimatu, & ibi puncto interiecto, & facta hypodiaſtole, ſequitur, & infra ſecundum tẽpus, quod exquiſierat à Magis. Itaque illa verba ſecun-

Explicatio.

cundum tempus, quod exquiſierat à Magis, non ſunt referenda in totum, quod præceſſit, ſed tantū in illam particulam, & infra, ita ſcilicet, quod occideret bimos, & præter eos occidit minores, ideſt eos etiam, qui tredecim diebus nati erant ſecundū tempus, quod exquiſierat à Magis, atque ita id, quod à Magis didicit, non probat Chriſtum tunc fuiſſe bimum, ſed infra bimorum ætatem.

6 Reſpondetur *6.* rurſus ex D.Aug. lib. 2. de conſenſ. Euang. cap. 11. & ex D.Th. 3. par. q. 36. Fortaſsè Herodes credidit, Magos fallacis Stellæ viſione, poſtquam non inuenerant, quem natum putabant, erubuiſſe ad Herodem redire. Et hac de cauſa necem infantium fuiſſe dilatam, at poſt dies aliquot, & fortaſsè menſes nouis illis ſuſpicionibus obortis, & ijs, quę in die purificationis publicè in templo geſta ſunt, auditis (nàm fortè poſt multos dies certior eorum factus eſt) ad priſtinam intentionem reuocatus eſt animus Regis, vt verbis vtar D.Aug. loc. cit. Cumque multa imprimis Rex media excogitaſſet vario, & altercanti iudiciō, vt verbis vtar Orig. lib. 1. contra Celſ. & vltrò, citròque contuliſſet, & nihil proficere videret, tandem inſigne facinus occiſionis infantium perpetrare deliberauit; Quæ omnia dum conſulit, & deliberat, nō mirum eſt, ſi annus pręterijt, & hac de cauſa à bimatu iuſſit infantes interfici. Explicatio.

7 Reſpondetur 7. eſſe ſentētiam, quam tenuit D.Aug. ſerm. 7. de Epiph. & Chriſoſ. hom. 17. in Matth. Theophyl. Matth. 2: in illa verba, diligenter didicit ab eis: & Niceph. lib. cap. 14. & quàm tue- Explicatio.

tur

tur Ioſeph Scalig.lib.6.de emend.temp.quod ſtella vno, aut duobus annis antè Chriſti ortum orta fuerit in aere,& apparuerit Magis:& quod eius indicio,atque ducatu ſtatim iter arripuerint,& in Ieruſalem peruenerint die 13.poſt Chriſtum natum. Et hac de cauſa dicunt Herodem occidiſſe pueros à bimatu,& infra iuxta tempus ſtellę,quę apparuit Magis, nimirum ante vnum, aut duos annos, vt ſuadere nititur iſte inter cęteros nouiſſimus auctor: quoniam ſtella iſta, cum non eſſet in Cœlo, ſed in aere,non dubium eſt,quin eſſet cometa: cometæ autem non res præſentes,aut præteritas, ſed futuras,& imminentes portendere ſolent,præſertī Regnorum,& Religionum mutationes, quod magno Orig. non diplicuit lib. 1. ſupra verſus finem, vbi de hoc loquitur iuxta illud Lucani:

Mutantem Regna cometem.

Neque obſtat,quod cometę ſigna alioqui infelicia eſſe ſolent,verè enim dixit Poeta:

Nuſquam viſum impune cometem.
Nuſquam futilibus incanduit ignibus ęther,
Et rurſus:Lętus,vt optāti cōtingat,& aureus ānus,
Numquam crinitum videatur in aere ſidus;
Et tādē:Illi etiā belli motus,feraque arma minātur
Magnorum clades populorum, & funera Regū.

Hæc itaque nihil obſtant,quia is cometes,ſicut nō fuit ex cauſis naturalibus ortus,ita non alicuius infortunij,ſed ſupremę,& vniuerſalis ſalutis feliciſſimum ſignum. Nihilominus tamen tenendum eſt, hanc Magorum ſtellam non fuiſſe cometem, primo,quia cometæ in 3.& ſuprema aeris regione de

terræ

 197

terræ exhalationibus conflantur. Secundo, ad motū primi mobilis rapiuntur ab oriente in occidens, & non recta, ſed circulari latione. Tertio, ſingulis diebus totum circumeunt Mundum. Quarto, non videntur interdiù, ſed noctu tantum. Quinto, neq; vnquam ſiſtunt, & quieſcunt, ſicut nec Cælum, cuius motum ſequuntur. At ſtella noſtra nihil pœnitus cum his omnibus commune habuit. Rurſus quod apparuit longè ante Chriſti Natalē pœnitus eſt improbabile. Nec D. Aug. in ea perdurauit ſententia, quod nobis ad amuſſim nunc examinare nō licèt.

8. Reſpondetur tandem, tàm ferum, ac immanem fuiſſe infanticidam hunc, ideſt Herodem, & præſertim in Iudæos tàm effrænata libidine deſæuire ſolitum eſſe, vt leuiſſimis de cauſis eos morti adijceret. Vt enim omittamus, quod omnes Iudæorum proceres, & nobiles interfecit, & Zanedrim, ideſt conſilium. 70. ſeniorum deſtruxit; quod Philo ille Annia: refert lib. 2. breuiar. ſuam quoque amantiſſimam vxorem Marianam morti tradidit, quam tamen ob eximiam eius pulchritudinem, tam miſerè deperibat, vt ea occiſa, lunaticus, & mentis inops effectus ſit, referente Ioſepho lib. 15. antiquit. cap. 11. ſed, & vxoris ſuæ fratrem Ariſtobolum admirandæ, & incredibilis pulchritudinis adoleſcentem ſuffocari iuſſit, vt idem teſtatur cap. 3. ſed, & die morris ſuæ, ne in eius funere deeſſent lachrymæ, & populum, quem ſciebat ea morte gauiſurum, cieret ad planctum, vocauit ad ſe nobiles, qui eo vſque ſuam iram euaſerant, & vocatos con-

Explicatio.

Herodes immanis crudelitas.

iecit in vincula, & coniectos iuſſit hęredibus, vt ipſa ſuæ mortis die trucidarent, & ſagittis conficerent. Refert Imperfectus ſuper Matth. 2. hom. 2. circa finem, & Niceph. lib. 1. cap. 15. vbi Ioſephi idem dicentis vtitur verbis. Quid ergo miramur, ſi belluæ huius ingenio, & innatæ feritati hac noui Iudęorum Regis occaſione accedente, iuſſerit omnes per id temporis natos ad bimos occidi? Immò miremur, quod non trimos etiam, & quatrimos morti tradidit, vt non tãtum quatuordecim infantium millia (ſicut re vera hoc infanticidio periere, vt ex gręco Chalendario, & Lithurgia Aethyopũ tradit Genebrardus in Chronologia,) ſed plures aliæ myriades interirent. Quarè Auguſtus Cęſar, ut lepidè, ſic meritò dixit, melius eſſe in domo Herodis porcum eſſe, quam filium, vt inter alios Auguſti ſales refert Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 4. Herodes enim in hac puerorum ſtrage, nec proprio pepercit filio, teſte Philone illo loc. cit. at porcis parcebat, eò quod licet ipſe genere erat Arabs, atque Idumæus, tamẽ ob amorem Mariamnes vxoris ſuæ circumciſus, proſelitum ſe fecit, atque adeò Iudaicarum legum obſeruatorem. In Iudæa autem, vt dixit Iuuenalis

Vetus indulget ſenibus clementia porcis.

Videlicet, vt quorumdam delirium videatis, qui hunc Herodem, hunc, inquam, crediderunt eſſe Chriſtum Meſſiam noſtrum; Rem mirabilem refert Epiph. hæreſ. 2. Hieron. contra Luciferian. & tangit Philaſt. verb. Herodiani.

9 Duo adhuc circa hanc infantium cædem

ſuper-

ſuperſunt dicenda,primum, quod ego iam pridem dubitabam, cur inter tot infantes ab Herode occiſos Ioannes Baptiſta euaſit, qui eo tempore vix ad ſex menſes natus erat, & in locis finitimis Bethlehem verſabatur? Reſpondeo ex Niceph.lib. 1.cap. 14. & ex Petro martyre Alex. qui refert in Bredẽbachio ſuper Matth. cap. 23. Herodem omni proculdubio eum voluiſſe interimere, cum eius Natiuitatis fama, & opinio multum increbuiſſet: ſed Eliſabeth eius parens fugę ſe commiſit,aſſumptoq; puero delituit in ſpelunca, quam cum Zacharias pater eius manifeſtare nollet Herodi, dicunt nonnulli inter templum,& altare, quò confugerat, tãquam ad aſylum,pœna capitis mulctatum eſſe. Et hæc eſt,aiunt, occiſio Zacharię, tam celebris apud Matth.cap.23. Alterum eſt, quod ex Chriſoſt. & alijs refertur in hiſt.ſchol. cap. 12. ſuper Euangel. quod Herodes credens Chriſtum eſſe bimum, & ſuſpicans maiorem eſſe bimis, trucidauit pueros bimos,& maiores bimis. Vnde quod dicitur à bimatu, & vltra bimatum, ideſt bimos, & maiores, ſcilicet vſque ad quinquennium, & hos vocat infra bimos,ſeù inferiores bimis,quia poſt bimos nati numerantur, ſed intelligentia impugnatione nõ indiget.

Cur Ioãnnes Baptiſta euaſit Herodis iram.

Zacharias inter tẽplum, & altare occiſus.

A bimatu, & infra alter...

Solutio cæterorum argumentorum.

AD ſecundum verò argumentum reſpondetur, non ſtatim poſt Magorum abitionem fugiſſe Ioſephum cum puero, & matre in Aegyptum

Quando fugit Chriſtus in Aegyptum.

ptum. Licèt enim Matth. omnia hæc congerat, & enarret, ac ſi ſimul accidiſſent, tamen anticipatio, & recapitulatio (figuræ ſacrorum ſcriptorum familiariſſimæ) in cauſa ſæpè ſunt, vt ſimul recenſeantur, quæ diuerſis temporibus acciderunt. Syluam exemplorum lege in varijs auctoribus. Sic primo Magi venere die 13. & abiere 14. vel 15. mox die 40. Feſta purificationis acta ſunt. Cumque Herodes exindè ſollicitior eſſet, vt puerum caperet, qui tamen in Nazareth cum parentibus redierat, & nec ibi quidem ab Herodis rabie ſecurus erat: Angelus Ioſepho fugam in Aegyptum edixit. Et is eſt optimorum interpretum diſcurſus, præſertim D. Aug. de conſenſ. Euang. 2. cap. 5.

Cur Lucas recenſet Magorum hiſtoriam.

3 Ad tertium reſpondetur D. Lucam poſt recenſita ea, quæ acciderant in nocte Natiuitatis Chriſti, ea tantum voluiſſe referrè, quæ ad legalium obſeruantiam pertinebant. Vt ergo oſtenderet in Chriſto Moſaycam legem pœnitus fuiſſe ſeruatam, ex his, quæ in nocte illa acciderunt, ad octauum tranſijt diem, in quo circumciſionis ritus ſeruatus eſt, & ex eo die ad quadrageſimum migrauit, quo purificationis puerperæ, & præſentationis infantis lex impleta fuit: reliqua autem, quæ illis medijs diebus interceſſere prudens conuoluit ſilentio, quia ad ſuum inſtitutum non faciebant. Sanè D. Lucas non ea, quę ad Regnum Chriſti, ſed ſolum, quæ ad ſacerdotium ſpectabant, tractanda aſſumpſit, vt benè vidit D. Aug. lib. 1. de conſ. Euāg. cap. 2. & 3. Ad ſacerdotium autem Chriſti parum faciebat hæc Magorum adoratio, plurimum verò le-

legalium obſeruatio. At Matth. qui regiam Chriſti dignitatem deſcribebat, non debuit hanc Regum hiſtoriam præterire, ſicut neq; prætcrijt quatuordecim numerari Reges in Genealogia Chriſti, cum tamen Lucas longiorem progenitorum Chriſti ſeriem texens nullius Regis, Dauidem excipio, meminerit. Demum benè videbat Lucas, hoc Magorũ negotium à Matth. ſatis luculentèr enarratum; quarè ſe ab onere eiuſdem referendi liberatum videns tranſiit ad alia, quæ Matth. omiſerat. Frequẽter enim ità faciebant Euangeliſtæ, quoniam in omnibus vnus, & idem Spiritus loqueſiatur, perinde eret vnum loqui, atque loqui omnes, vt etiam docet D. Aug. ſerm. 104. de tempore. Matth. 1. Luc. 3.

4 Ad quartum admittimus, turbatum eſſe Herodem noui Regis Natiuitatem audientem, immò vt Magos ad ſe non rediret comperit, maiori ira, & turbatione correptum fuiſse. Cęterùm cũ miſſis nuntijs, & ſpeculatoribus, neque veſtigium quidem Regis Iudæorum in Bethlehem nati repeririſset; credibile eſt, eum aut omninò, aut magna ex parte quieuiſse. Aut vt dicit Aug. libr 2. de conſenſ. Euang. cap. 11. regijs aliis occupationibus diſtrictũ per plurimos dies ab intenta infanticidij immanitate, aut omninò fuiſse auerſum, aut ſaltim impeditum. Vt autem, quæ acta ſunt in die purificationis reſciuit, denuò turbatus eſt, & vehementiori, quam antea ira exſcanduit: & dum puerum in Ieroſolymis non reperit, recurrit ad Bethlehem: eo autem neque ibi quidem inuento, quia iam in Nazareth adductus fuerat, infantium cędem machinatus

Cur Herodes diſtuliſſe cædem infantiũ

natus eſt: quod erat hominis ingenium vafrum, verſipelle, & humani ſanguinis auidum. Verùm, Deo prouidente, accidit ei, quod olim Pharaoni, & Sauli, vt obſeruauit magnus ille Eccleſ. magiſter Origin: (Herodem cum Pharaone, & Saule conferens) hom. 3. in diuerſis: Pharao enim vniuerſos paruulos necari præcepit, cum tamen Moyſen maximè interficere cogitaret: Saul etiam Dauidem interficere feſtinabat, eo tamen fugiente iram ſuam in ſenes, iuuenes, & lactentes paruulos conuertit. At per te ſicut Moyſes, & Dauid impiis Regibus deluſis, incolumes euaſerunt, licet ad modicum iræ locum dantes, timore correpti fugerunt: ſic Chriſtus ſaluus euaſit, apparente Angelo Ioſepho, & fugam eo admonente in Aegyptum, & Ioſepho puerum diligentiſſimè tranſmittente, quaſi Virgilianum illud ei diceret.

Exod. 1. & 2.

1. Regū. 22.

> Heu fuge, nate Dea, teque his, ait, eripe flammis.
> Hoſtis habet muros, ruit alto à culmine Troia.

Et quidem diſcurſus hic, qui tam bonis nititur cõiecturis, non tantum veriſimillimus, ſed veriſſimus mihi videtur, atque adeò prior Herodis turbatio nequaquam Chriſtum, & eius parentes à celebrandis purificationis feſtis deterreret, poſterior vero longè, ac plurimum perterre faceret.

Dona à Magis oblata, in quos vſus expenſa.

5 Ad quintum quod Magi prædictorum munerum magnam vim Chriſto ſuppeditauerint, nõ eſt ſatis certum. Immò quadrantius eſt, quod modicam eorum partem in delibauerint. Enim verò ea mu-

munera non eo animo deferebant, vt ſcilicet Chriſtum ditarent, & eius inopiæ mederentur: neque verò, vt regiæ magnitudinis monumentum eſſent: ſed vt eſſent ſymbola quædam, tùm propriæ erga Chriſtum obedientiæ, tùm Chriſti erga ipſos caritatis, tùm verò tandem aliorum myſteriorum, quæ ad Chriſti veram diuinitatem, & humanitatem pertinebant. Aut verò ſi in maiori copia munera obtulerunt, dico vel paupertatis gratia B. Virginem oblata dona à ſe protinus abijeciſſe, vel beneficentiæ, vel Religionis erga, ea ſtatim in pio vſus conuertiſſe, aut miſerorum pauperum, aut ſacrorum locorum, vel modeſtiæ cauſa à maioribus hoſtijs abſtinuiſſe, quoniam cùm eſſet notæ paupertatis fæmina, in templo educata non expediebat, vt repentè prodiret diues, agnum etiam inſtar diuitum offerendo. Tandem, quæ erat eius prudentia, cùm paucos poſt dies fugiendum ſibi eſſe in Aegyptũ cum filio, & ſponſo, & inibi per multos annos peregrinandum probè ſciret, voluit ex Magorum muneribus reſeruare, quæ ad viaticum ſibi neceſſaria eſſe coniectabatur.

6 Ad ſextum reſpondetur diuinum hunc paruulum nunc infantem, nunc puerum indiſcriminatim vocari à Luc, cap. 2. nè commodius Chriſtus ſuſciperet Magos bimus, aut trimus, quam recens natus: quandoquidem tanto iudicio, & rationis vſu etiam, quà homo erat, vigebat in vtero matris, quanto nunc in Cœlis ad dexteram Patris ſedens. Quod ſi vrgeas ſaltim humano more magis compos rationis videretur bimus, quam recenter natus:

Quod potius infans, quàm adultus eſſe debuit Chriſtus nunc.

tus: Hoc tibi nego. Ecquid enim plus mentis habet puer vnius anni, aut duorum, quam totidem dierum natus? Quin potius ad myſterij magnitudinem, atq; alios fines conuenientius erat, vt infantulus adoraretur, quam bimulus. Quod verò ex Epiph. nobis opponitur, nihil retulerit; ſiquidem apertè nobis eſt in hac parte contrarius. Iuſtinus autem id, quod in argumento adducitur, fortaſſe non dicit, vt eius locum conſulenti palam fiet. Sed ſiue id dicat, ſiue non, quid quæſo nobis officit? Tandem quod Matth. non meminerit præſepij, aut Ioſephi, non præſtat ſolidi alicuius argumenti materiam.

Magi ſine mora ſtatim venerunt.

7 Ad ſeptimum dicimus Reges, ac Principes quamlibet alioqui potentes, & graues benè ſcire, quando negotij grauitas ità exigit, omnibus poſt habitis, ſtatim iter carpere, & ipſum celerrimè cōficere. Quantum verò ſua ipſorum Magorum intereſſet, Chriſtum quantoties inuiſere, ſatis conſtat. Rurſus dicimus Stellæ ducatum nunquam eis defuiſſe, vt paulò poſt demonſtrabo. Dicimus prętereà non eſſe firmum aliquod, & conſtans fundamentum ad aſſerendum, quod Romanæ cohortes impedirent, & ei aditum intercluderent, & ſanè qua ratione dicunt iſti poſt biennium patuiſſe Magis aditum in Iudæam, dicam ego ſub tempus Natiuitatis Chriſti patuiſſe, & oppoſitum, qui dicunt, diuinant, nè dicam ſomniant, ac delirant. Quod rurſus obijcitur, Magos in diuerſis Regnis, & Prouincijs verſari, & oportuiſſe eos, legatis miſſis, ac remiſſis, de profectione conſulere, non obſtat; quia

cum

cum Toparchæ, ac exiles Reges eſſent, in locis propinquis verſarentur, cumque hoc negotium diuinitus ageretur, ſtella exterius, & Deo interius eos agitante, & gubernante, & vices, ac munus legatorum ſupplente, non erat eis opus quidquam dubitare, aut conſulere, ſed illicò conuenire, & pergere.

8 At inſtas longiſſima terrarum ſpatia peragraturis non erant ſatis 13. dies. Et quam longa obſecro? nullus vltrà ducentarum leucarum interuallum conſtituit, quas Magi peregerunt, ſiuè ex felici Arabia, aut Sabæa venerint, vt Iuſt. Tertul. Cyprian. Hiſid. & alij volunt, & inſinuat ſcriptura: ſiuè ex Perſia, aut ex Caldæa, vt Athan. Hierony. Baſil. Theod. Theophy. Aug. Ambro. Orig. autumãt. Quarè, quod quidẽ per miraculũ dicũt, tã paucis diebus, tã multa ſpatia trãſcurriſſe, ferre nõ poſſũ. Cur enim ſi hìc miraculũ ſuberat, tredecim diebus eos Deus ex Caldæa in Iudęam perducebat, & non potiùs in momento, ſicut in Caldæam ex Iudæa in momento Angelus Abacuh per capillos arreptum adduxit? Adde, quod Magi, vt habet communis traditio, vſi ſunt in hoc itinere dromedarijs, genus eſt Camelorum velociſſimæ pernicitatis, quique teſte Ariſt. 9. de anim. lib. cap. vlt. celerius niſæis equis currunt, & vno die mille ſtadiorum ſpatium peragunt, ideſt vltra quadraginta paraſangas, ſeù leucas, authore Philoſtr. in vita Apollon. quibus ſi addideris vehementiſſimum deſiderium videndi Chriſtum, quo flagrabant, & diuini amoris aculeum eos interius agitentem, & inſtimu-

Magi, ex qua venerint Orientis parte.

pſal. 71. Iſa. 60.

ſtimulantem, non miraberis, quod 13 venere diebus.

9 Poſtremò omnium, vt vale longum huic dicamus quæſtioni, dicimus ſtellam toto itinere duxiſſe Magos ex Oriente in Ieruſalem, & plures ſunt huius ſententiæ aſſertores, quam alterius, hanc docet Niceph. lib. 1. hiſtor. cap. 13. Aug. 3. de mirab. S. Script. cap. 4. Chriſoſt. hom. 6. in Matth. Theophyl. Euth. ſuper Matth. 2. Leo Papa ſerm. 4. de Epiph. Petrus Chryſol. ſerm. 156. Bernard. hom. 3. in feſto. Albert. Mag. S. Tho. Abulen. q. 7. 10. 18. 20. 24. 26. 29. & fauet Eccleſia in hymno huius feſti, qui eſt Sedulij Poetæ grauiſſimi, & quem commendat Gelaſius Pap. in cap. S. Rom. Eccleſ. 15. d.

Ibant Magi, quam viderant
Stellam ſequentes præuiam.

10 Et quidem vt Magi haberent tàm longæ, & incertæ peregrinationis fidum aliquem comitem, & Achatem, immò & certum ducem: (non enim eo temporis tàm altas iam in fide radices egerant, nec tàm benè, & firmiter inſtructi erant, vt internæ illuſtrationes, & inſpirationes ſufficerent, & externo ſtellæ ducatu, & inditio non egerent.) Debuit Deus ſyderis obſequium, & officium numquam eis ſubtrahere: ſicut nec filijs Iſrael ex Ægypto in promiſſam terram contendentibus numquam ſubtraxit nubis, ſeù columnæ igneæ beneficium, quæ ipſos iugiter ducebat, & comitabatur, vt ex ſcriptura conſtat: non ſine ingenti tum Iſraelitarum, tum Aegyptiorum, tum verò aliarum nationum ſtupore, vt habet inſignis locus num. 14.

Exod. 13. & 14. Num. 14. Pſal. 77.

D. O. M.

Digitized by Google

102

Digitized by Google

Digitized by Google